

ponendum esse arbitror. Haec enim rerum rusticarum aspersione socordiam fovet, sciendi cupiditatem apud inertes opprimit, et plurimorum studia impedit. Mediocris admodum est eorum, qui ad tractandam oeconomiam animum adjiciunt, puerilis institutio, quia vel patres, ut multa ejusmodi pueri mente comprehendant, non opus esse, sed usu omnia et manuum tactu addisci debere arbitrantur. Hinc non satis parati plerique et multi etiam, qui ad alia omnia inepti judicati sunt, ad hujus quaestus officinas accedunt; quorum utrique disciplinae profectibus verbo et exemplo incredibiliter officunt. Neque vero omnes, qui cum alias, tum etiam oeconomicas, quas vocant, scholas frequentant, aut qui per causam discendarum rerum cameralium academicam civitatem adipiscuntur, vel commendare possunt disciplinam rusticam, vel tales sunt, quorum exempla, qui intuentur, reliqui imitanda esse facile censeant.

Deinde in ipso tirocinio juvenes saepe imperitis lucrique avidis hominibus traditi, nec, quali ingenio sint aut scientia instructi, quaeritur, nec docentur, nec si praesertim divites sunt, ad labores adiguntur, et pauperes nimium crebris admonitionibus defatigati discendi studium deponunt. Quorum paucissimi postero tempore omnia compensant, quippe cum plerique, temeraria illa opinione imbuti, agricolis pauca cognoscenda esse opinentur.

Imo multi, qui, quod ipsi de re rustica, neque accuratius meditati sunt, neque aliorum praecepta audierunt, nolunt sibi a manu esse juvenes, quos si de humo aliisque hujus generis novissimis quaestionibus audiunt dicere, aliena didicisse aut vaniloquos esse existiment. Alii vero metuentes, ne ad stipendium faciendum majori mercede conducendi sint, rerum suarum moderatores constituere dubitant. Easdem fere et id genus alias, de quibus supra dictum est, rationes secuti fundorum domini haud raro venatores, opiliones, maccellarios villarum administratores aut conductores esse malunt, quam viros agriculturae peritissimos.

Porro non hoc ejusmodi est, quo docti homines et mercatoers gaudent, inter ipsos agricolas mutuuum commercium. Optimi pleri-